



Disputatio medica inauguralis miscellanea medico-practica

<https://hdl.handle.net/1874/341859>

26

DISPUTATIO MEDICA
IN AUGURALIS,
CONTINENS

Miscellanea Medico-Practica,

^{Q. V.Æ}
PRÆSIDE DEO TER. OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclita Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus Consensu, & Alme
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Privilegiis & honoribus
rite, & legitimè consequendis,

Publico Examini subjicit

T O B I A S K E R N E R, BREGA-SILESIUS.

Ad diem 31. Decembris, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc Lxxxvi.

V I R O

Nobilissimo, Clarissimo, atque Experientissimo

D. SAMUELIS GODLIEB

S C H O L T Z I O, Medicinæ
Doctori Eximio, & Practico Rottero-
damensi Famigeratissimo, Patrono &
Fautori meo æternum colendo.

N E C N O N

VIRIS Spectatisimis atque Integerrimis

D. VALENTINO MICHEL,

Civi & Rerum Pretiosarum Mercatori Hagienſi Æ-
quissimo, Solertissimoque.

D. BARTHOLOMÆO STAPHORST,

Civi & Mercatori Rotterodamensi Vigilantissimo.
Fautoribus & Amicis meis omni honoris cultu de-
venerandis.

Theses hæc Inaugurales

Ex sincera animi Affectione
Offert & consecrat

TOBIAS KERNER.
A. & R.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
CONTINENS
MISCELLANEA
MEDICO-PRACTICA.

T H E S I S I.



Edicinam antea in majori quam nunc suisse
pretio extra dubitationis aleam est positum,
unde Græci etiam eos, qui in hac arte excel-
lebant, Deorum Filios vocabant. Causa
mihi videtur esse 1. quoniam antea pauciores
essent, qui ejus cultui ægrisque curandis sese
sacrabant, dum nempe principibus Viris tantum Medicinam
olim exercere, eamque suis Posteris per manus tradere liceret;
quo ipso fere omnibus Medicorum inter se æmulationibus
rixinis & calumniis, hodie satis usitatis, occasio erat abscissa,
quæ non possunt non Medicinæ, eamque exercentium existi-
mationi inter homines multum detrahere. 2. Quoniam è Ma-
joribus nostris plures plurima quæ arte medica, quamvis ma-
gis ruditer, magis dolorifice, magis tarde fierent, quasi pro
miraculis divinitus inspiratis ebuccinarent & interpretarentur;
licet Medicina tunc temporis adhuc rudis, certisque duntaxat
regulis & collectis sententiis, hactenus ex parte satis frigidis,
ex parte omnino falsis repertis, inniteretur. Cum vero no-
stro seculo tum Morbi, tum accommodati Medicamenti ge-
nuinæ rationes indefesso conamine inquirantur, & felicissime
successive detegantur, non mirum est, quod etiam artis no-
stræ, tanquam magis notæ & minus miraculose, æstimationi
inter homines non parum derogetur. Hinc hodie videoas tam
parca manu in Medicos collata sostra, quæ a Majoribus no-

4 D I S P U T A T I O M E D I C A

stris plenissimis manibus conferebantur, ita, ut Medicis inde accrescerent opes privatis hominibus quandoque majores. Hinc hodie etiam videoas tam parvam circa ægros & adstantes Medicorum Autoritatē, qui prisco ævo, cum adhuc viverent, pro Oraculis quasi vivis habebantur, cum fatis cessissent, pro semideis, Diisque ipsis quandoque colebantur.

I I.

Hoc tamen nativam Artis Medicæ dignitatem nihil omnino atterit, eodem modo, quo multitudo minus virtuosorum proprium virtutis ipsius splendorem obscurare non potest. Nobilissimum enim vitæ nostræ thesaurum (Sanitatem scilicet) docet fartum tectumque conservare, & si ille aliquod ceperit detrimentum, redintegrare.

I I I.

Quia dulcedine cunctos ducat vita, quam amicibili nexu Animula blandula, hospes comesque corporis, corpori juncta sit, in vulgus magis compertum est, quam ut de eo aliquid dici mereatur. Imo Mors quibusdam omnium rerum terribilium est terribilissimum, in tantum, ut, licet morbis gravenatur molestissimis, licet suppliciis crucientur maxime dolorificis, ipsis tamen, Vita dum super est, bene sit.

I V.

Tales tamen exquisitissimos vitæ dolores morti ipsi præopstantes homines sunt rariores. Communior hominum conditio potius fert, ut tædiosam a morbo plerumque vel aliunde vitam transfigentes, & vivere vel mori nescientes vitæ suæ teneat, ita, ut, qui sani omnem pro vita tuenda sollicitudinem deponebant, ægri nihilominus facti, sive ob dolorum atrocitatem, sive ob mali longitudinem extremis &, uti aliquando apparent, periculofissimis se libenter subjiciant Medicorum Medicæ-

I N A U G U R A L I S .

dicamentis & Chirurgorum Instrumentis , ut vel morbo vel
vitæ finem faciant.

V.

Hinc facile patet , quanti æstimandum sit , si quis sanam
mentem gerat in corpore sano , quod considerantes Veteres tan-
to , uti superius dictum , Medicos in honore habuere , quia
nimirum occulti & inæstimabilis hominum thesauri curam ge-
tebant.

V I.

Et hic , ut quis omnes corporis humani actiones libere ex-
ercere possit , finis & scopus unicus est Medicinæ nostræ , pro-
pter quem & ad quem omnia , quæ in ea tractantur fiunt. Hic
si obtinetur , Medicus & Æger habent , de quo sibi plurimum
gratulentur.

V I I.

Immortales autem servari possent homines , si finis ille sem-
per obtineretur. Non enim semper obtinetur sive ob defi-
cientem in Medico Conscientiam Scientiamve , sive ob Ægri
Inobedientiam Senectutemve , sive ob Adstantium Incuriam
Malevolentiamve , sive etiam ob alias adhuc omissas rationes.
Nihil jam dicam de justissima summi Creatoris lege , median-
te qua ob inobedientiam primorum parentum omnibus homi-
nibus semel est caleanda via Lethi. Hoc saltem dicam , quod
ut plurimum ob morbi ipsius gravitatem finis ille , non obti-
neatur , unde etiam propter subjecti naturam morborumque
varias circumstantias Medicina ipsa Artis conjecturalis nomen
est adepta. Hoc tamen nomen magis convenit veterum em-
pyricæ solis adhuc analogiis & quibusdam experientiis suffultæ ,
minus hodiernæ Medicinæ , duabus experientiæ scilicet & Ra-
tionis fulcris innixæ , Præprimis nostro hoc seculo , quo plu-

6 DISPUTATIO MEDICA

rimi, licet non omnes passibus æquis, duplex hoc fulcrum indefesso & felici satis studio magis magisque solidatum eunt, ut, si fieri possit, superstructæ illi fulcro Machinæ omnimodam concilient perfectionem; quanquam hæc, cum nihil sub cœlo sit ab omni parte beatum, magis obtanda, quam spe-randa. Multum egerunt Majores nostri, sed non peregerunt, multum adhuc restat, multumque restabit, nec ulla nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adjicendi.

VIII.

Ut autem dictus Medicinæ, quoad Medicum, obtineatur finis, in eo requiritur Conscientia & Scientia; Conscientia, ut munere suo in omnibus debite fungatur, Curationes suorum Ægrotorum cito, tuto & jucunde, quantum fieri potest, per-agat, semperque in eo sit, ut bene agendo tam sibi ipsi satis-faciat, quam aliis bonam suam comprobet Conscientiam. Quoad requisitam in Medico Scientiam, ea absolvitur bene explorata & cognita Theoria & Praxi.

IX.

Cum vero Medico futuro Practico potissimum conveniat, ea, quæ in Praxi medica aliquando pro hominibus sanis præstandis inservire possint, cognita & perspecta habere, ideo & nos pro nostro scopo potissimum circa Praxin medicam unum alterumve duntaxat, nullo servato ordine, hinc inde delibabi-mus. Cum porro in Medico Practico requiratur, ut, quantum fieri potest, cito, tuto & jucunde Curationes Ægrotorum absolvat, proposueramus quidem paucula quædam ex Chymia adjicere, cum per eam potissimum illæ intentiones Medicamentis efficacibus, debite elaboratis jucundis & gratis ra-tione compendiosæ doseos & blandæ operationis, feliciter im-petrari possint. Verum, cum præter alias rationes potissimum temporis angustia hoc nobis dissuaderet, illa jam omittere, & faltem circa generalia subsistere maluimus.

X. Circa

X.

Circa Ascitis medelam , ratione famosæ Paracentesos Operationis, idem videtur evenire datum , quod & circa alias generosos in Medicina ausus contingere solet. Ægrotorum enim & adstantium plerumque culpa hæc Operatio non instituitur, nisi omnibus aliis prius in cassum tentatis & exhibitis. Abdominis enim perforationem , tanquam rem maxime horrendam & cum singulari Ægri periculo conjunctam sibi persuadent, cum tamen tutissima sit Operatio , Asciticisque levandis & curandis commodissima , si in tempore , visceribus nondum ab amurca muriatica corruptis, adhibeatur; quæ, si jam tum detrimentum ceperint , vel , si sursum pressa aqua respirationem reddiderit breviorem , vel etiam vires omnes maximam partem fuerint amissæ , non mirum est , Paracentesin , quæ alias in principio adhibita Ægrum penes Medicamenta consortantia , & Diætam convenientem restituisset , tum frustra administrari. Sane hoa satis testantur Cadavera Asciticorum post mortem aperta , in quibus Peritonæum , Pancreas , Mesenterium consumtum , Fistulam Intestinalem lividam , Hepar exulceratum , Lienem nunc in frustula quasi divisum , nunc induratum & crassa gypsi adinstar materia repletum , Renum substantiam vix conspicuum , uno verbo nullum viscus sanum & integrum suisse repertum Eruditorum multæ referunt Observations. Utrumque Paracentesos eventum ipse vidi , ubi sanè non Paracentesin , sed jam recensitas causas mortem accelerasse protobœ observavi. Unde est , quod etiam aliquando Clariss. D. Christophorus Ruperti , tunc temporis Professor Academiæ Erfurtensis & Practicus felicissimus in Ascite Clariss. D. Johannis Schmidii , Phil. Prof. jam nominati loci p. m. hanc Operationem administrare recusaret , licet ab ipso Ægroto ad illam instituendam indesinenter imploraretur. Prævidens enim tam ob morbi pertinacissimam diuturnitatem , quam ob virium omnium immensam jacturam , infelicem eventum , nobilissimum hoc Auxilium ab ipso in aliis Asciticis felici successu adhibitum,

3 DISPUTATIO MEDICA

tum, ne vulgo ampla illud diffamandi daretur ansa, jure me-
ritoque non adhibuit.

X I.

Illa respirandi difficultas, quæ per intervalla cum sibilo, stertore & tussi recurrat, & Asthmatis appellationem obtinuit, hactenus exquisitissimis etiam Medicamentis curatu fuit difficultima, quare ejusdem Curatio etiam tentata fuis Vomitorii, quibusdam felici, quibusdam satis infelici successu. Non igitur immerito queritur: an Vomitoria in hoc morbo convenienter? Creditum hactenus fere fuit, ejus causam solummodo in pulmonum, eorumque bronchorum a materia tenace, viscida, pituitosa, flatulenta &c. obstractione & repletione residere; ast eadem tenax & crassa pituita in Ventriculo stabulans verum Asthma cum suis symptomatibus, quandoque etiam sive constituit sive mentitur. Nimirum quando illa materia crassa & tenax quacunque ex causa commota incipit turgescere & quasi in flari, non potest non Ventriculo exinde distento Diaphragmatis motus deorsum, ad dilatationem pulmonum summe necessarius simul impediri, quin etiam Diaphragma ex irritatione Ventriculi convellitur, & hinc vitiatus sub respiratione motus sequitur, quod illustrant exempla Asthmaticorum, qui Vomitorii fuere curati à Rulando, Höfero, Horstio, Sennerto, Hartmanno, Velschio & aliis unde in eo casu feliciter, cæteris partibus Vomitoria adhiberi posse, in proposito est. Nec minus in casu, ubi in ipsis pulmonibus causa hæret, si quidem in vomendi illo conatu & insigni abdominis constrictione ipsi Pulmones necessario premi & angustari debeant, ita, ut materia in iis hærens pressa feliciter extrudatur, sic que per Vomitum eliminetur. Quod si assertionem hanc observationibus illustrare animus esset, ingentem Catalogum Asthmaticorum ex vitio pulmonum, quibus vomitoria felicissimo successu fuere propinata, in medium proferre possem. Hoc tamen silentio præterire nequeo, me aliquoties desperatos Asthmaticos à Clariss. D. Doctore Seydlero, Practico Leydens.

Fami-

Famigeratissimo, Fautore & Amico meo honoratissimo, præmissis & frustra adhibitis appropriatis & specificis sic dictis, solo propinato Vomitorio cum stupenda adstantium admiratione a suffocationis præsentis periculo vidisse liberatos, & pristinæ Sanitati restitutos. Quod autem quibusdam Asthmaticis Vomitoria infeliciter cesserint, aliis Asthmatis causis aliquoties per Anatomiam detectis adscribendum est, adnatis scilicet Pulmonibus, quod *Grim Compend. Med. Chym.* his verbis testatur, *Dominum Ryklof de Goens Juniores*, Batavici in Ceylon Territorii Gubernatorem, veram Asthmatis ibi frequenter naturam inquirentem, mortuorum aliquos aperiri curasse; ex iis uni Pulmo ad Pleuram, alteri non modo ad Pleuram, sed immemoriam parte ad Diaphragma fuit annexus. Sed quid opus, ex Indiis Orientalibus Testimonia adducere, cum passim in Europæorum Observationibus adnatorum Pulmonum prostent Exempla. Imo ipse præterita hyeme vidi Puellam II. annorum, dum viveret, summe Asthmaticam a Joanne Doetmenuyt Chirуро Rotterodamensis Civitatis primario, præsente D. Sam. Godlieb Scholtzio, Med. Doct., & Practico illius loci famigeratissimo, Domino & Fautore meo (quem Honoris & Observantiae causa nomino) plane singulari, dissectam, cui alter Pulmonum lobus Pleuræ, alter vero Diaphragmati pertinacissime erat adnatus. Quis non videt, Vomitoria nullo modo convenire, ubi hæc causa peccat, tensionesque illæ per violentum vomitionis motum adhuc magis expanduntur? Et licet Oppletio Pulmonum a viscida pituita in adnatis Pulmonibus aliquando concurrere possit, Medicus tamen eo in casu a Vomitorio abstinenſ ibit tutissimus. Hinc Asthmatici a prudente Medico accurate sunt examinandi, ejusque vera causa ex Symptomatibus omnibus, ægrorumque constitutione probe investiganda, ne quandoque præsens & salutare præ aliis Vomitorii remedium negligat, quandoque idem, in casu inconveniente adhibendo, diffamat.

10 DISPUTATIO MEDICA

X I I.

Non omnino dispar ratio est Phthiseos & Vomitoriorum. Nec in ea, uti communiter solet, semper abominanda sunt Vomitoria, sicuti Experientia & Ratione patet. Duplex nempe observatur Tabes, alia orta ex vitio stomachi, quæ stomachalis, alia ex vitio Pulmonum, quæ pulmonalis dici potest. Prior, an veræ Phthiseos appellationem mereatur, licet id pluribus Phthisicorum symptomatibus simulet, non disputabo; pueris, præcipue in hac Regione est familiaris, & alias etiam Atrophia dicitur, quanquam adultis quoque hominibus superveniat, teste citato *Grim Compend. Med. Chym.* ubi meminit, plurimos in India reperiri inter milites Phthisicos, quorum paucissimi Pulmone laborant, sed prava duntaxat Viscerum constitutione, quæ impedit Concoctionem, & sanguificationem corruptat, necessarium corpori alimentum derrahat, carnemque penitus liqueat & evanescere faciat. In tali casu Vomitoria, tam in principio, quam in progressu morbi adhibita, singularis usus & effectus esse posse utique patet. Et fortassis causa talis tantum est in iis Phthisicis, in quibus quidem omnia adsunt veræ Phthiseos signa, nulla tamen unquam sanguinis vel veri Puris expectoratio fuit observata; quanquam, si *Fernelio* credamus, etiam *Vomica pulmonis* aliquando per multos annos gestari possit, nullis signis se prodens, ob vesicula sua crassitudinem, etiam ut inde noxa nulla inferatur partibus vicinis, sed cum tempore subita Solutione possit hominem suffocare. Nec Vomitorium eo in statu (ubi ingravescentibus symptomatibus a spontanea talis vesiculæ ruptione Ægri suffoeratio sit metuenda, & nullum Medicamentum tali Ægro in futura suffocationis periculo constituto satis subitaneum levamen & juvamen afferre possit) rejiciendum, sed omnino a confirmatae autoritatis Practico, cæteris paribus, in usum vocandum. Hujus generis videtur esse *Ephemerid. Germ.*

I N A U G U R A L I S. II

Germ. Ann. 3. Observatio 49. ubi in desperata Phthisica vetula agonizante pro ancipi remedio, consensu circumstantium, Medicus propinavit Vomitorium, unde plus quam Librae X. materiae purulentæ sunt ejectæ, mulierque cœpit reviviscere, & adhibitis paucis tantum abstergentibus & expectorantibus omnino convaluit. Sed ejusmodi Observations sunt rariores. Succurrit autem mihi egregium Phthiseos sic dictæ stomachalis Exemplum in Virgine 25. Anorum, quam omnes, (licet hæmoptysis & veri puris ejectio abessent) imo ipsi Medici, qui omnia haec tenus frustra tentaverant, conclamatam dicebant Phthisicam, cui a peregrinante quodam Studioso, in aliorum Medicamentorum defectu, data fuit dosis Reguli Antimonii Medicinalis dicti, qui a quibusdam quasi pro Panacea, licet antea magis quam nunc, venditatur. Ille aliquot, uti solet, in Ægra copiosissimæ materiae pituitosæ, quasi purulentæ excitavit Vomitiones, unde Ægra quasi ab Orco revocata, intra hebdomadam unam alteramve, absque ullis aliis adhibitis Medicamentis contra omnium expectationem pristinæ restituta fuit sanitati.

Quoad Phthisin sic dictam pulmonalem notandum, verius hanc veræ Phthiseos mereri nomen, majoremque in hac, Vomitoriorum adhibendorum ratione, esse difficultatem, non tamen tantam, quæ ea omnimode excludat. Quodsi enim Hæmoptysis nondum fuerit observata, nec metuendum sit, ne novæ hæmoptysi per Vomitorium adhibitum subministretur ansa, at copiosa Pulmones gravet purulenta materia, periculosam respirandi difficultatem pariens, consultum omnino est, purulentam pulmones opplentem sarcinam Ægris per vomitum adimere, respirandique reddere licentiam, quo ipso illi non solum vires resumere, & Medicamenta accommodata balsamica & mundificantia cum fructu in usum trahere possunt, verum etiam notabilis curationis spes eis affulgere incipit.

12 DISPUTATIO MEDICA

XIII.

Ingens sane circa Pleuritidem est Controversia, an nempe Venæ sectio in ea conveniat? De qua transcursum hoc tam-
tum dico, ubi potius Obstructionis a sanguine stagnante
factæ Deobstructio, acidique vitiosi, membranam Pleuræ,
instar spinæ, vellicantis, quam ipsius sanguinis Depletio in-
dicetur, V. Sem ibi etiam non indicari, sed per Diaphore-
tica & Deobstruentia tam interna, quam externa Curatio-
nem bene posse absolvri, id, quod etiam toties facta Ex-
perientia satis comprobavit. Quoniam vero tam Medici,
quam alii hactenus observarunt, saepius per V. S. dolores
acutissimos mox remittere, a sanguine scilicet detracto vas-
orum tensionibus quodammodo relaxatis, hinc eam ceu ab-
solute necessitatis operationem aestimarunt; cum tamen, li-
cet dolores pro tempore imminuantur, nisi simul interne
adhibeantur Medicamenta diaphoretica, non solum brevi post
redeant, sed etiam magna inde virium fiat imminutio, qua-
e gravis ad morbi decursum superandum potius essent asservan-
dæ. Unde etiam nullus Pleuriticus unquam sola V. S. fa-
natur, quam hodie Medici attentiores libenter prætermitten-
tent, si modo ejus necessitas a vulgo non tantopere urge-
retur, qui nempe, nisi Pleuritico Vena fuerit secta, cum
neglectum esse palam profiteri non erubescit. Sic Medicus
circumspectus, nisi singulare quid V. Soni administrandæ
obstet, quasi coactus, vulgi opinioni & perversæ consuc-
tudini hac in parte aliquid concedere debet, ne inevitabiles e-
jus calumnias cum Praxeos suæ, licet alias florentis, deperi-
tione incurrat.

XIV.

Circa Dysenteriam non inutilis occurrit quæstio, an ni-
mirum usus Clysterum in hoc morbo sit proficuus? Hel-
mon-

montius in genere Clysmata belluina & intestinis peregrinā re-
media vocat, verum uti aliorum, sic & Clysmatum nimis rigi-
dus est censor cum dexter eorum usus in multis morbis felicif-
sima subsecuta Curatione magis se reddiderit commendatum,
quam ut e foro medico penitus eliminari possit aut debeat.
Interim tamen licet Clysteres in Dysenteria in specie hactenus
in amplissimo fuerint & adhuc sint usū, nihilominus sanioris
judicij Practicis crēbrior eorum in hoc morbo adhibitio ma-
xime fuit suspecta, cum nullis præoccupati præjudiciis vi-
derint, illos ea, quae ipsis adscribuntur, non præstare, &
ad ipsam Curationem parum facere, nisi commoda interna,
quibus solummodo Dysenteria auscultare solet, præcipue aci-
dum imbibentia, spirituosa volatilia, & balsamica demulcen-
tia simul adhibeantur. Cum enim causa Dysenteriae sit acre
acidum quodcumque internum, membranis intestinorum ini-
micissimum, quod propter continuam vellicationem & irri-
tationem Intestinorum tandem & sanguinis profluvium exci-
tat, sequitur exinde, quod illud acre acidum sit corrigen-
dum & irritatio Intestinorum fistenda. Jam vero Clysteres,
licet etiam constent ex ingredientibus blandissimis & maxime
demulcentibus, semper tamen Intesta plus minus stimulant,
& in Dysenteria præprimis partes excoriatas, & plus minus
exulceratas manifeste laceſſunt, & ad immodicam imo spas-
modicam contractionem irritant. Quām facile enim partes
excoriatae aut exulceratae irritari, & subseqüentes exinde do-
lores excitari queant, patet saltem ex eo, quod si quis ali-
quam levem exteriore in cute, vel etiam in ore Exulceratio-
nem habeat, & illinat blandissimum aliquod Medicamentum,
imo aërem duntaxat insperato admittat, non levem exinde
sentiet dolorem. Hinc etiam tam studiose Ambustorum vel
etiam Variolarum cuticulas pro tegmina contra varias externas
injurias adservare jubemus. Non autem verum usum, sed
abusum saltem Clysterum, uti in aliis morbis, ita etiam in
Diarrhæis & Dysenteriis rejicio, id est, uti paulo superius
notavi, crebriorem, imo creberrimam eorum injectionem,

14 DISPUTATIO MEDICA

& dantur sane casus, in quibus præter omnem cogitationem tam horrenda & mortem indicantia superveniunt symptomata, quæ tamen tempestive applicato Clysmate felicissime fuerunt mitigata. Sic adhuc nuper vidi Virum magni nominis Febre continua ægrotantem, cui superveniente Diarrhæa inopinata tanta sanguinis tam floridi quam coagulati per anum sequebatur excretio, ut ejus quantitas etiam aliquot pintas excederet, cum virium summa prostratione, Lipothymiis, Convulsionibus, aliisque pessimis & mortem indicantibus signis, quæ symptomata omnia Clystere ex Lact. dulc., Terebinth. venet., Rad. Rub. Tinctor., Aloë, Myrrha, moderate addita quantitate Opii, exoptatissimo successu fuerunt mitigata ita, ut exinde nova vitæ spes iterum affulgens intra aliquod temporis spatum, adhibitis Medicamentis ipsum morbum spectantibus, ex voto fuerit restitutus, & adhuc salvis vivat & incolamis. Medicus hinc facili negotio poterit cognoscere, quo in casu Clysmatum conveniat usus, ne quotidiana bis terve illorum reiterata injectione Ægrotantium vitam faciat ancipitem.

X V.

Præcedenti Thesi mentionem injecimus Variolarum, quæ scrobiculos & cavitates, quandoque nævos & cicatrices varie figuratas post se relinquentes cutem externam mirum in modum deturpant & deformant. Plerique, præcipue delicatores, cutem in primis faciei, a tali puris in Variolis erosione integrum conservare sollicite student, effectu tamen impari, quandoque frustraneo & noxio, quandoque sperato & innoxio. Cum enim in hocce morbo libera ubique transpiratio non impediri, sed potius omnibus modis promoveri debat, hinc Linimenta, Unguenta ex oleosis & pinguisibus, Axungiæ, Lardum ipsum, licet fumatum, in tenuissimas Lamellas chartæ fere crassitiem æmulantes, dissectum, & variæ alia, quorum hinc inde apud Autores prostant Exempla, faciei

faciei intumescenti, pustulis & erumpentibus applicata jure
meritissimo non parum sunt suspecta. Accedit, quod Vario-
larum humiditatem potius protrahere, quam exsiccationem
(quod Lotichius quidem de Oleo Amygdalarum dulc. illito
prædicat) promovere, & ita citam earum suppurationem
præpedire videantur. Rectius itaque & tutius agetur, si
omnia talia poros constituant (præfimis in iis, in quibus
noxa ab externis adhibitis Medicamentis internis resarciri ne-
quit, uti sæpius in pueris Medicamenta interna renuentibus
fieri solet) omittantur, in fallaci hoc præcipue morbo, ubi
ægri aliquando omnino convalescere videntur, & tamen pau-
cis interjectis horis moriuntur. Commodius potius duntaxat
internis eita Variolarum eruptio aut maturatio promovenda,
imo, si id exequi liceat, nimia earum eruptio avertenda, o-
mnis præcavenda, qualia effecta passim in Ephemer. Ger-
man. cum exemplorum variorum recensione adscribuntur.
Mercurio dulci aliis Medicamentis intermixto, ea ratione,
quod ille, uti Lumbricorum, ita & colluvie animatæ ho-
stis sit, quam fide Microscopii multi hodie in Morbis ma-
lignis statuunt. Quam ipsam sententiam variis in locis con-
firmare videntur jam allegatae Ephemerides German., ubi
Vermiculi post Variolas cum urina rejecti, item sudor ver-
minosus in Variolis observatus, & multa alia ad hunc scopum
spectantia annotantur. Imo ipse Joil jam tum refert de Va-
riolis Ao: 1574. in Insula Rue, vicinique Urbe Stralsun-
densi grassantibus, in iis tantam suisse purrefactionem, ut de-
tractis pustularum crustis in subcutaneo ulcere vivi Vermiculi re-
perirentur. Sub dictorum internorum adhibitione maturatio
Variolarum sollicite expectanda & attendenda, & licet sint,
qui suadeant earum acu ferrea argenteave, pro puris effluxu
& expressione, apertioem, Experientia tamen hoc affirma-
re possum, me absque ulla pertusione, inunctione, aliisque
externe adhibitis, sola continua sed moderate observata dia-
phoresi & cura, ne nimis cito crusta earum separetur & de-
trahatur, aëisque externus arceatur, pristinum faciei nitorem
fere

16 D I S P U T . M E D . I N A U G U R .

fere semper vidisse conservatum; contrarium tamen eventum
in pertusis & quoconque alio modo externis Medicamentis
tractatis variolis saepius observasse.

X V I .

Animus quidem erat, rariores nonnullas a superius nomi-
nato Clariss. D. Scholtzio circumspecte institutas & feliciter
peractas Curationes (quibus semper ex peculiari Ipsius erga
me benevolentia praesens interfui) hic subnectere, sed quia
gravitas Morborum, & Circumstantiarum varietas amplam
enarrationem & dilucidationem requirit, quam temporis peni-
uria jam mihi non concedit, tam prolixum negotium commo-
diori potius occasione reservare, quam currente tantum cala-
mo adumbrare malui. Interim Deum T. O. M imploro,
ut ad ulteriores meos in Medicina ausus divinam suam bene-
dictionem, ad Ejus nominis Gloriam & Proximi salutem,
largiter concedere dignetur.

